

Nr. 2 fehlt!  
11. Dez. 1954 Lr

12.  
11

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**MORBIS VERNALIBVS**

QVAM  
AVSPICE DEO PROPITIO  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI  
PRÆSIDE

**DN. JOANNE JVNCKERO**

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO  
DECANO H. T. SPECTATISSIMO

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

AD D. JVN. ANNO MDCCXLV.

PVBLICO AC PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

**SIGISMVNDS PHILIPPVS GLASSER**

SORAVIA-LVSATVS.

---

HALAE MAGDEBURGICAE

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



VIRO  
PERILLVSTRI ATQVE EXCELLEN-  
TISSIMO DOMINO  
DOMINO  
JOANNI NICOLAO  
A MAXEN  
DYNASTÆ IN LIEBESITZ MOHREN  
OBERSTEIN RELIQVA  
SACRÆ REGIÆ POLONIARVM MAIESTATIS  
AC ELECTORIS SAXONIÆ  
DIRECTORI CAMERALIVM PROVINCIALIVM IN  
LVSATIA INFERIORE GRAVISSIMO  
DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.



VIR  
PERILLVSTRIS ATQVE EXCELLEN-  
TISSIME  
DOMINE GRATIOSISSIME

**N**on dubito fore plerosque, qui  
hoc genus dissertationis leve, &  
non satis dignum PERILLV-  
STRI TVO NOMINE judicent, cum  
relatum legent, quinam sint morbi isti ver-  
no temporis maxime familiares, ex quibus  
caussis illi orientur, & quibus consiliis au-  
xiliisque iis obviam ire debeamus. Sed  
hi erunt fere, qui rerum medicarum non  
solum, sed rerum etiam illarum, quæ ad  
salutem reipublicæ quam maxime perti-  
nent,

nen, expertes, nihil rectum, nisi quod  
iporum præconceptis opinionibus con-  
veniat, putabunt. Hi, si didicerint, sum-  
mos Imperantes, & qui horum vices ge-  
runt, non solum de rerum sufficientia, &  
de tranquillitate & securitate externa, sed  
de ipsa etiam subditorum incolumitate &  
sanitate, debere esse sollicitos; non ad-  
mirabuntur, me levidensem hancce dis-  
sertationem medicam, TIBI, VIR PER-  
ILLVSTRIS atque EXCELLENTIS-  
SIME, devotissima mente consecrasse.  
Præterquam enim, quod cum cura rerum  
Cameralium, cura incolumitatis subdi-  
torum nexu arctissimo conjuncta, TIBI-  
que adeo utriusque salutis cura clemen-  
tissime demandata sit; sola fane TVA Gra-  
tia, DOMINE GRATIOSISSIME, qua  
parentem meum dilectissimum, artis sa-  
lutaris peritum, meque ipsum, rerum me-  
dicarum cultorem indefessum, prorsus  
singu-

singulariter adhuc prosecutus es, sola in-  
quam mihi sufficit, ut non tam sperem,  
quam confidam, TE, VIR PERILLV-  
STRIS atque EXCELLENTISSIME,  
hunc qualemcumque ingenii fœtum sere-  
na fronte excepturum, TVAMque mi-  
hi Gratiam in perpetuum conservaturum  
esse. Idque illud ipsum est, quod, ea qua  
decet animi submissione, precatur

PERILLVSTRIS ATQUE EXCELLEN-  
TISSIMI  
TVI NOMINIS


Scrib. in Academia Fridericana  
ad d. 28. Junii 1745.

*Cultor devotissimus*

SIGISM. PHILIPPVS GLASSER.



VT ET  
**VIRO**  
PRÆNOBILISSIMO EXPERIENTIS.  
SIMO DOMINO  
**D O M I N O**  
**JOHANNI PHILIPPO**  
**GLASSER**  
MEDICINÆ DOCTORI CELEBERRIMO  
PARENTI  
*QVOVIS PIETATIS CVLTV ÆTERNVM*  
*DEVENERANDO*  
*DISSERTATIONEM HANCCE INAVGVRALEM*  
*CVM*  
ARDENTISSIMO SEMPITERNÆ FELICITATIS VOTO  
SVBMISSA ANIMI DEVOTIONE  
OFFERT ATQVE CONSECRAT  
FILIVS IPSI OBEDIENTISSIMVS  
**SIGISMVNDS PHILIPPVS GLASSER**  
SORAVIA - LVSATVS.



*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA  
DE  
**MORBIS VERNALIBVS.**

*PROOEMIVM.*

 Prodiit nuper, in hac ipsa Academia Fride-  
riciana, dissertatio inauguralis medica :  
*De morbis hyemalibus feliciter averten-  
dis.* Cumque iam suo tempore HIPPOCRATES,  
hanc ipsam morborum differentiam, quæ a variis anni  
temporibus, variisque tempestatum mutationibus desu-  
mi solet, tanti quidem fecerit, ut eam non solum  
*Sect. III. Aphorismorum*, una cum morbis variarum  
ætatum, Aphorismis aliquot exposuerit seorsim ; sed  
eandem insimul omnibus ac singulis, qui artem sa-  
lutarem ex voto consequi cupiunt, *libro de aëribus,*  
*aquis & locis*, statim ab initio sequentem in modum  
commendaverit : *Quicunque artem medicam recte  
assequi voluerit, hæc eum oportet facere.* Primum  
quidem animadvertis annii tempora, quid uniusquod-  
que eorum efficere possit ; nulla enim in re similia sunt,  
sed multum differunt, tum ipsa ad invicem, tum in  
propriis permutationibus. Deinde vero ventos &  
calidos & frigidos, maxime quidem omnibus homini-  
bus communes, mox autem & unicuique regioni pecu-  
liares. Oportet autem & aquarum facultates consi-  
derare,

4 PROOEMIVM.

derare, &c. r. A. Ut or hoc loco versione LVDOVICI SEPTALII, Mediolanensis Medicī, qui, in hunc ipsum HIPPOCRATIS librum elegantissimum nobis dedit Commentarium, textum HIPPOCRATIS græcum, ope antiquorum exemplariorum, restituit, multis in locis emendavit, & novam adiecit in latinum versionem, Coloniae 1590. fol. Hinc recte fecit doctissimus auctor dissertationis de morbis hyemalibus, quod in ipsum HIPPOCRATIS *Aphorismum XXIII. Sect. III.* qui ex interpretatione FOESII ita se habet: *Hyeme vero pleuritides, peripnevmoniae, lethargi, gravedines, rauicitates, tusses, dolores pectorum, laterum & lumborum, capitis dolores, vertigines & apoplexie tum sunt, tum exacerbantur*, ita quidem commentari voluerit: ut brevem ante omnia morborum hyemalium dederit historiam, ubi eam tamen, idque iure optimo scribendi libertatem sibi sumfit, ut pro climatis diversitate, unum alterumve morbum addiderit, de quo artis medicæ princeps isto loco nihil dixit; deinde vero in cauſas horum morborum curatius inquisiverit; tandem vero ad horum morborum faciliorem evitationem, ex tripli artis salutaris fonte, diætetico, chirurgico & pharmaceutico, necessaria commendaverit remedia. Placuit ista differendi ratio nobis aliisque. Præterquam enim, quod ex hac ipsâ comparatione HIPPOCRATIS & GALENI cum placitis Medicorum mediae & nostræ præsertim ætatis, de veritate & falsitate dogmatum hypothesumque medicorum, ipsisque inventis nov - antiquis medicis, eo facilius iudicare valeamus; in id fâne hodie quam maxime incumben-

bendum nobis erit, ut illorum animos, qui solidam artis medicæ cognitionem querunt, partim *a nimio novarum doctrinarum studio*, partim vero a vulgatissimis nostro tempore auctoritatis, *sc̄t̄ & recept̄ semel sententia* opinioribus praecconceptis, tum præmuniamus, tum quantum quidem fieri potest, pedentim avocemus. Probe quidem novimus, præiudicium antiquitatis & recept̄ *semel traditionis medicæ*, seculis superioribus plororumque animos ita occupasse, ut cum GALENO & HIPPOCRATE errare magis, quam cum PARACELSO & HARVEIO veritatem satis evidentem agnoscere maluerint. Sed id quoque novimus, quod post tempora DANIELIS SENNERTI, qui laudabili admodum conatu, pertinacissima *Hermeticorum & Galenorum dissidia*, ita quidem componere allaboravit, ut *Galenico-chemical* faceret medicinam; in omnibus Germaniae Academiis hinc inde extiterint artis salutaris interpres, qui ante & post CARTESIVM, non quidem veritati admodum nocivam sentiendi libidinem, sed necessariam iudicandi libertatem in arte medica, sibi aliisque strenue vindicarunt. Horum exemplum sat laudabile, cum auctor dissertationis de *morbis hyemalibus* masculine sequatur; eius vestigia, in conscribenda dissertatione de *morbis vernalibus* facilius superandis, ita quidem legemus in præsenti, ut itidem ad ductum HIPPOCRATIS, cuius *Apborismus XX. Sect. III.* ex interpretatione FOESII sequens est: *Vere quidem insanæ, melancholie, comitiales, sanguinis profusiones, anginae, gravedines, raucitates, tusses, leprosæ, impetigines, vitiliges &*

*pustule ulcerose plurimæ, & tuberculæ & articulo-  
rum dolores tum fiunt, tum exacerbantur, brevem  
morborum verni temporis recensionem primo loco  
exhibeamus; deinde vero causas horum morborum  
penitus investigemus; tandem etiam modum, seu  
rationem, qua morbi modo dicti facilius superari  
possint, breviter ostendamus. Faxit DEVS feliciter!*

## §. I.

*Nominis ex-  
plicatio.*

**D**e morbis vernalibus, quos alii, qui puriorem  
amant dicendi rationem, *morbos verni tem-  
poris* appellare malunt, dum hic sermo nobis  
est, utriusque nominis explicatione, quorum neu-  
trum fere explanatione indiget, facile supersedere  
possemus; nisi quidem, mori apud nos recepto, mo-  
rem hoc loco gerere vellemus. Est itaque *Ver*, se-  
cundum Astronomorum calculum, ista temperatior  
anni pars, quamprimum sol in Zodiaco signum arietis  
contingit, atque hinc tum hoc, tum tauri geminorum-  
que signa percurrit, ad cancrum usque pertingens;  
adeoque illud ipsum tempus vernum a XX. Martii  
die, ceu æquinoctio vernali incipit, & ad diem Junii  
XXI. ceu solstitionis æstivum usque perdurat. Que-  
madmodum vero quatuor anni tempora divisa sunt  
in ternos menses; ita quodlibet anni tempus tribus  
iterum discernitur partibus. Aliud enim est *Ver*  
*primum* seu *novum*, initium scilicet temporis verni;  
aliud est *adultum*, quando maiores iam fecit pro-  
gressus; aliud vero est *Ver præceps* seu *extremum*,  
finis nempe Veris & transitus eius in æstatem; quæ  
varia temporum divisio, etiam de *estate*, *autumno*  
atque

atque *hyeme* valet. Ex quo facile intelligitur, quod ipsa *morborum vernalium*, aliorumque morborum temporum *differentia*, astronomico - physico nitatur fundamento. *Morbi autem dicto huic tempori verno* maxime *familiares*, uno verbo *vernales* appellantur; ubi tamen ob nexus temporum arctissimum, ad *hyemem extremam*, & *aestatem novam*, in explicandis morborum vernalium caussis & effectibus, omnino insimul respicere debemus.

## §. II.

Antequam vero ad recensendos explicandosque *obiectio re-*  
*morbos verni temporis ipsos accedamus*; *gravis il-*  
*la de veris salubritate dubitatio*, *paucis quidem hoc*  
*loco removenda erit*. *Videtur enim magnus noster*  
*HIPPONCRATES & sibi, & veritati ipsi ex parte esse*  
*contrarius*, *dum Aphorismo IX. Sect. III. In au-*  
*tumno, inquit, morbi acutissimi & exitiosissimi omnino*  
*accidunt*; *ver autem saluberrimum, & minime mor-*  
*bis exitiosis obnoxium est*; *Aphorismo autem XX. lon-*  
*gam morborum vernalium seriem in medium pro-*  
*ducit*. Sed recte respondet ad hanc ipsam dubita-  
*tionem FRANCISCVS VALLESIVS in Commenta-*  
*rio ad hunc locum*: „*Ver est saluberrimum, non qui-*  
*dem, quod non soleant eo tempore multi morbi*  
*accidere, sed quod veris temperies nullos per se af-*  
*ferat morbos, utpote mediocris & moderata*. *Nam*  
*„morbi illi ex multitudine succorum aut excremento-*  
*rum, quae hyeme congesta sunt, fusa tamen vere, so-*  
*luto frigore fieri solent; qui tamen non fient, si*  
*„præcautionis gratia utimur evacuatione, quam ta-*  
*men etsi quis negligat, morbi minime exitiosi contin-*  
*gunt*.

„gunt. Constat enim eo tempore maxime facultas,  
„qua proinde facile sese expedit a morbis.“ Causa  
itaque, qua vere, tempore aliquo saluberrimo, mul-  
tos morbos videmus accidere, est negligentia utendi  
eo tempore necessaria præcautione.

## §. III.

*Quo sensu ver  
saluberrimum  
fir.*

Nec veritati ipsi adversatur noster SENEX, quando *tempus vernum*, in relatione ad reliqua anni tempora, præsertim vero ad autumnum, morbis exitiosis maxime obnoxium, *saluberrimum* adpellat. Quis enim dubitat, *moderatam* illam, inter calidum & frigidum, humidum & siccum, *veris* maxime *adulti temperiem*, quæ corporis nostri humores blando calore expandit, fibrasque partium solidarum moderata sua humiditate modice relaxat, adeoque motum sanguinis progressivum, motusque se- & excretorios, præsertim vero insensibilem illam seri halruosi perspirationem, mirum quantum iuvat, omnium esse *saluberrimam*. Deinde vero etiam id notandum est præcipue, quod quemadmodum omnes res non-naturales huic modo salubres, illi autem insalubres esse possunt; ita quoque aëris verni constitutio, præsertim si initium & finem veris spectet, non æque omnibus subiectis, quæ ratione *etatis*, *sexus*, *temperamenti*, *confuetudinis*, *præviae corporis dispositionis*, & quæ sunt reliqua, multum omnino a se invicem differunt, saluberrima semper esse potest. Id quod olim de varia hominum *etate*, pro temporum diversitate ipse iamiam monuit HIPPOCRATES Aphor. XIIIX. Sect. III. Per tempora verni anni, vere quidem & principio *etatis* pueri, & qui eis

eis ætate proximi sunt, optime degunt & maxime va-  
lent. Æstate vero & autumno aliquantisper, senes.  
Reliquum vero & hyeme, qui medii inter hos etati-  
bus sunt. Addatur Aphorismus II. eiusdem Sectio-  
nis, ubi de varia hominum constitutione sequentem  
in modum præcipit: Naturæ, he quidem æstate, he  
autem hyeme, bene aut male habere natæ sunt.

## §. IV.

Quemadmodum autem tempus vernum, ut re- Quo sensu etiam morbis sit obnoxium.  
liqua anni tempora, tribus absolvitur mensibus, quo-  
rum primus maxime varius & inconstans plerum-  
que esse solet, dum exeunte Martio sol blando calore  
nos afficit, ineunte autem Aprili cœlum nives sæpe  
& grandines in terram spargit, unde sat molestus  
frigoris sensus denuo resuscitatur; ita facile patet ra-  
tio, cur ipso tempore verno, morbi variii generis  
tum fiant, tum exacerbentur. Sed hic nova oritur  
dubitatio, quo iure contendat HIPPOCRATES  
*Aphorism. IX.* morbos verni temporis minime esse exi-  
tiales, cum tamen experientia constet, magnum ho-  
minum numerum, in nostris quidem regionibus,  
ipso vere ineunte, diem obire supremum. Respon-  
deo: Isti quidem morbi vernales, quos HIPPO-  
CRA TES *Aphor. XX.* ut morbos verni temporis  
recensuit, minime sunt exitiosi, prouti infra clarius  
patescit; quod vero hyeme exeunte, & quod neuti-  
quam negare possumus, ipso quoque veris initio, multi  
hominum, & inter illos pueri etiam, & qui eis ætate  
proximi sunt, contra *Aphorismum XIII.* variolis  
maxime, febribus malignis petechialibus, aliisque fe-  
bribus acutis, moriantur; illud sane veri iam adulto-

B

atque

atque consistenti, eiusque moderatae temperie, ne-  
quaquam tribui potest. Rectius forte ab inconsante ista frigoris hyemalis & caloris verni, eaque su-  
bitanea saepius in uno die alteratione partim, partim  
vero a prævia quorundam corporum, quoad partes  
fluidas & solidas, dispositione, intempestiva etiam  
tempestatum mutatione, aliquis cauiss pluribus, de-  
rivari poterit. Hinc recte iudicat HIPPOCRATES  
*Aphor. IIX.* In temporibus moderatis, quum tem-  
pestiva fiant tempestive, morbos stabiles & boni iudicii  
accidere. In immoderatis autem instabiles & mali  
iudicii. Spectat huc quoque *Aphorismus IV.* ubi be-  
ne monet Senex noster, quod etiam extra tempus  
autumnale, morbos autumnales expectare oporteat,  
in temporibus nempe, quando eodem die, modo  
quidem calor, modo frigus fit.

### §. V.

*Morborum  
vernaliū  
variae classes.*

Sed accedamus nunc ad *primum nostræ differen-*  
*tationis momentum, ad brevem nempe morborum ver-*  
*naliū recensionem;* quas ægritudines omnes ad *tres*  
*classes reduxit B. noster HOFFMANNVS in diff. de*  
*aëris intemperie multorum morborum causa* §. XIV.  
„Siquidem aliae, inquit, a sanguine redundante, eo-  
„que per spasmos ad superiores corporis partes con-  
„gesto, fiunt, cuius generis sunt, insanæ, melan-  
„cholia, epilepsia, haemorrhagia & anginae. Aliæ  
„a sero stagnante & in partibus glandulosis faucium  
„& articulorum decumbente fiunt, ut gravedines,  
„raucedines, tusses, arthritides. Quedam a visci-  
„do, impuro & falso sero, ad summam cutem eius-  
„que glandulas protruso, & cutis texturam dissol-  
„ven-

„venite enatæ fuerunt, ut lepræ, impetigines, pustulae ulcerosæ, tubercula. Nos vero, morbos istos verni temporis, quos HIPPOCRATES Aphorismus XX. supra iam in medium prolati, recensuit, ad quatuor classes commode reduci posse arbitramur. Prima classis morbos animi continet, insaniam nempe seu furores atque melancholias; secunda classis morbos habet spasticos, tam convulsivos quam spastico-arthriticos, epilepsiam quippe seu comitialem istum morbum, & articulorum dolores; tertia classis morbos congestionum comprehendit, vel completarum, ut sanguinis profusionem, vel incompletarum, quo anginæ, gravedines & raucitates, imo etiam tusses referri possunt; quarta denique classis complectitur morbos cutaneos varii generis, lepras nempe, impetigines, vitiligines, pustulas ulcerosas plurimas, & tubercula.

## §. VI.

Ad primam itaque morborum vernalium classem Prima classis quod attinet, quæ morbos animi complectitur, τα μα-  
νια huc refert HIPPOCRATES, και τα μελαγχολικα,  
furores nempe & melanocholias. Disputant interpretes eius, quid per τα μανια scilicet παθη, hoc loco melancholia in  
sibi velit noster Senex, & quanam ratione in Mania ex mente Hippocratis infa- quo differant  
ex mente Hippocratis lib. I. Galeni.  
nia (ita enim vocem τα μανια vertit CELSVS c. I. pocratis lib. I.) partim a deliriis phreneticorum, partim vero, a melancholicis affectibus differat. ANVTIVS  
FOESIVS in *œconomia Hippocratis*, voce μανια, ex variis locis aliis divi Senis, & ex iis, quæ ad ea loca commentatus est GALENVS, satis clare ostendit, μανια & τα μανια HIPPOCRATI esse vehe-

mentem desipientiam ac mentis alienationem absque febre; deliria autem phreneticorum non nisi cum febre acuta coniuncta esse. Et hanc ipsam differentiam, quæ inter maniam & phreneticorum deliria intercedit, ut alibi, ita speciatum *Comment. I. in libros prorrhet. HIPPOCRATIS*, sequentem in modum exponit GALENVS: *paucos�ai seu insanire, inquit, omnes homines eos dicunt, qui citra febrem defipiunt; ορεγονται vero, qui cum febre id patiuntur.* A melancholia autem seu animi angore, in una cogitatione quasi defixo, in eo maxime differre videtur mania, quod maniaci furentes magna cum audacia ad motus & actiones rectæ rationi adversas, modo rarius, modo frequentius abripiantur; melancholici vero in perpetua animi tristitia, angore atque metu versentur, hominum fugiant consuetudinem, aliud ex alio metum sibi fingant, mox in suspiria, mox vero in lacrymas, plerumque tamen absque causæ indicatione, erumpant.

## §. VII.

*Quanam ratione differant ex mente Medicorum recentiorum.*

Recentiores artis salutaris interpretes, in explicanda Maniae & Melancholiae differentia, a mente & sententia HIPPOCRATIS & GALENI parum vel nihil plane recedunt. *Maniam* enim definitiunt, per delirium fortissimum sine febre, cum maxima mentis abalienatione & ratiocinationis perturbatione coniunctum; *Melancholiæ* autem vocant, imaginacionis lesionem, sive delirium sine febre, a rebus vel materialibus vel immaterialibus phantasias intimis & fortius impressis, eandemque adficientibus originem trahentem. *Differet Mania* non solum a Phrenite

nitide respectu febris, & a *Melancholia* respectu tristitiae & meticulositatis, sed etiam a se invicem differt, tam ratione gradus, quam ratione *causæ*. *Alia* enim est *fortior*, cum summo ægroti furore coniuncta; *alia* vero est *mirior*, in informibus saltim sermocinationibus, cum intermixto frequenti risu & cachinno, maxime conspicua. *Alia* *causam* magis *immaterialem* & *moralement* agnoscit e. g. speculationes hypermetaphysicas & hyperalgebraicas, excedentes nimium animi passiones, iram præsertim, atque amorem alterius personæ insanum, qui *Erotomania* appellatur; *alia* autem a *causis materialibus* e. g. a verminibus, mensium vel lochiorum retentione, provenit, unde *Furor* iste *uterinus* originem suam dicit. Ita quoque *Melancholia* differt ratione *causæ*, quæ vel *materialis* est, a lœsionibus corporis diuturnis, præsertim vero a sanguine spissiore venæ portæ proveniens, unde *Melancholia hypochondriaca* audit; vel est *immaterialis* & *moralis*, a sola mentis falsa præfiguratione & æstimatione dependens; vel est *mixta*, ubi *causæ* *physicæ* & *morales* concurrunt. Tandem etiam *Melancholia* hoc loco distinguenda est a morosi seu moria, quæ est itidem delirium, sed circa *incunda* versans, ubi ægri alta quæque spirant, seque principibus regibusque pares esse autumant. *Melancholia* autem stricte sic dicta est *delirium triste*, magis enim in suspiria & lacrymas erumpunt melancholici, taciturnitatem & solitudines amant, & quæ sunt reliqua. Plura de Mania pariter ac melancholia dabit NENTERVS in *fundamentis medicinae theoretico-practicis*, tabula CLXXI. & seq. Addatur Celeb. noster

noster PRÆSES, qui in conspectu Med. theorer. pract.  
de melancholia & mania singulares exhibit tabulas.

§. VIII.

Morbi verna-  
les secunda  
classe.

In secunda morborum vernalium classe, iuxta HIPPOCRATIS Aphorismum, occurunt τα επιληπτικά, epilepsia seu morbus ita dictus comitialis, ναι τα αρθρίτικα, articulorum dolores; quos licet ultimo loco posuerit noster Senex, nos tamen duos hosce morbos spasticos, unum quidem convulsivum, alterum vero spastico-arthritis merito coniungimus. ORIBASIVS, sat vetustus HIPPOCRATIS interpres, qui GALENO & ætate & disciplina proximus extitit, epilepsiam seu morbum comitialem inter morbos animi refert. Ita enim in *Commentario* ad hunc locum HIPPOCRATIS: „Omnis læsio, inquit, tribus modis est, aut nimia, aut media, aut maxima; si cut nunc ex una materia atrabilaria sunt tres affectus, & ab uno principio, sed diversis locis: morbus comitialis in imaginatione, melancholia in ratione, insaniam in memoria est. Et paucis interiectis, scribit: quando ergo imaginatio minor est illis, tanto habet minorem offenditam morbus comitialis; adeo ut aliquibus post duos menses, aliquibus post sex eveniat, si tamen se bene gerant, etiam post unum annum. Quamquam vero epilepsia, si rem recte æstimamus, non tam a causis materialibus, quam potius ab erronea motus idea proveniat, sensuumque abolitionem manifesto involvat; quoniam tamen ratio eius formalis in motu convulsivo proxime consistit, vitia vero motuum tam excedentium quam deficientium, morbis animi hodie quidem oppo-

oppoununtur; facile patet ratio, cur epilepsia a plerisque inter vitia motuum excedentium merito referatur. *Articulorum autem dolores*, quos veteres a partium solidarum imbecillitate, acriumque humorum ad articulos defluxione derivare solebant, inter morbos spasticos numerandos esse, nostra quidem aetate nemo est, qui dubitat.

## §. IX.

*Epilepsia*, morbus ille *caducus*, *sacer seu maginus*, unde etiam *Herculeus* aliquando appellatur, quem latini *comitialem* dixerunt, eo quod in comitiis, ut in aliis quoque concionibus & hominum cœtibus, illo correpti maxime infestabantur; quodque eo, quo quis concidisset die, comitia interrumpebantur; *epilepsia*, inquam est motus convulsivus plus minus repentinus, summe exacerbatus, artus præcipue, caput & pectus miserrime adfligens, sensuumque privationem per totum paroxysmum inferens, cum aliis symptomatibus, gravioribus, idiopathice magis, absque alius morbi concursu, ab anxia natura erronee formatus. Quamquam enim morbus iste comitialis a quacunque causa materiali, interdum omnino originem suam trahat; tamen si semel transiit in habitum, non tam materia peccans, quam motuum vitia, in censum hic venire possunt. Sunt, qui epilepsiam in *symptomaticam* & *idiopathicam* dispecent; sed haec differentia rectius refertur ad doctrinam de convulsionibus in genere, ubi illæ, quæ fontice corporis pericitationi superveniunt, *symptomaticæ* audiunt, quæ vero sine evidente complicatione cum aliis morbis corpus infestant, *idiopathica*

*thice & uer e<sup>z</sup>oxw epilepsia adpellantur. Rectius epilepsia ratione graduum in mitiorem, ratione temporis in vagam atque periodicam, ratione originis autem in hereditariam & acquisitam discernitur.*

§. X.

*Quid & quo-  
tuplices sint  
articulorum  
dolores?*

Dolores autem *arthritici* sunt motus tonici partium solidarum molliorum contractorii, propter humores hic & illic stagnantes, aut impeditius procedentes, a natura in quacunque corporis regione, praesertim vero circa articulos excitati, ut his medicamentibus humores ad hos vel illos corporis partes propellantur, & superflui e corpore proscribantur; licet finis ille salutaris rarius obtineatur, & motus illi spastici, per errorem aliquem naturae, facile abeant in consuetudinem. Quoniam vero isti dolores vel in uno loco fixi haerent, vel per varios corporis articulos oberrant, & mox pedes, mox scapulas, mox brachia aliasque partes occupant; hinc *arthritis* in *vagam* & *fixam* recte omnino dispeicitur. Ceterum variæ sunt *arthritidis* fixæ species, quæ tamen omnes non nisi loco fere differunt; quod enim in altero capitis latere *hemicrania*, in auribus *otalgia*, in dentibus *odontalgia*, in lingua vero *glossagra* dicitur; illud in manibus *chiragra*, in genibus *gonagra*, in pedibus *podagra*, in thorace *pleuritis*, in lumbis *rephritis* *spuria*, in coxis *malum* *ischidiacum* adpellari solet. *Rheumatismus* autem, quem alii ad vagam, alii vero ad fixam referunt *arthritidem*, inter caussas variorum affectuum catarhalium motuumque spastico-arthriticorum, rectius omnino referendus esse videtur.

§. XI.

## §. XI.

*Tertia morborum vernalium classis* morbos complectitur *congestionum*, tam *completarum*, varias sanguinis fluxiones, quas voce graeca, latinitatis iure apud nos donata, *hemorrhagias* hodie adpellare sollemus, quam *incompletarum*, quo anginae, gravides, rauitates & tusses, immo affectus catarrhalis omnes referri debent. Quemadmodum vero *congestio* generatim est specialis directio sanguinis, a natura mediante motu tonico versus loca peculia-  
*Morborum vernalium  
tertia classis.*

*Congestio quid  
& quo-  
plex?*

ria copiosius, & hunc quidem in finem ordinarie collecti, ut per *hæmorrhagiam* ibidem excerni, & illius abundantia hac ratione imminui possit; ita *congestio simplex*, *completa* & *directe hæmorrhagica* illa dicitur, in qua sanguis versus talia loca restringitur, quæ ad illius perruptionem & effluxum apta sunt, v. g. versus nares, pulmones, ventriculum, uterum, intestinum rectum, vesicam urinariam. Unde variæ oriuntur *hæmorrhagiarum species*, quæ vel *natu-  
ræ* *Hamorrhagiarum varie-  
species.*

rales sunt, dum ab interna caussa, directione, & tacita quasi commotione, a natura ipsa, mediante congestione, per motum tonicum excitantur, ut *hæmorrhagia narium*, *hæmoptysis*, *vomitus cruentus*, *hæmorrhoides*, *fluxus mensium*, *lochiorum*, & *mictus cruentus*; vel sunt *præternaturales*, quæ a caussis externis & violentis originem suam trahunt, e. g. a lapsu, adlitione, vulneratione; quo etiam *hæmorrhagiæ artificiales* pertinent, per venæsectionem, scarificationem & sic porro productæ. *Congestio autem incompleta*, quæ vulgo *rheumatismi* nomine venit, illa dicitur, quando sanguis, eundem quidem

In finem hæmorrhagicum, ad certas quasdam corporis regiones, congeritur; quoniam autem ista loca a viis hæmorrhagicis aliquando longinquius distant, perruptio illius expectari facile nequit. De nonnullis harum congectionum incompletarum, quas divus noster Senex partim inter morbos *hyemales*, partim vero inter morbos *verni temporis* re-tulit, statim dicemus paragrapho subseguente.

## §. XII.

*objec<sup>tio</sup> re-movetur.*

*Angina quid & quotu-plex?*

Dicis: Si gravedines, raucitates atque tusses, ipso fatente HIPPOCRATE Aphor. XXIII. ad morbos *hyemales* pertinent; quo iure hoc loco inter morbos *verni temporis* istæ ægritudines referri possunt? Respondeo: morbi *hyemis* exeuntis, cum veris ineuntis affectibus, ob maximam tempestatum illarum convenientiam, facile coincidunt; adeoque ex parte quidem *hyemales*, ex parte vero etiam *vernæales*, recte omnino appellantur. Primum itaque hic locum sibi vindicat *angina*: Stasis illa sanguinis inflammatoria, circa fauces & vicinas illarum partes, præsertim vero circa laryngis aut pharyngis musculos, tam internos, quam externos collecta; quamquam detur etiam anginæ quedam species, quæ non tam sanguineis & musculosis partibus in-hæret, quam membranis faucium, uvulae atque palati, unde ipsi *albae* & *pituitosæ* nomen fuit impositum. Veteres pro diversitate partis affectæ, varias constituere solebant anginæ species; *cynanchen*, ubi musculi *laryngis interni*, *paracynanchen*, ubi *externi*; *synanchen*, ubi musculi *pharyngis interni*, & *parasympatheticus*, ubi *externi* tumore inflammatorio corri-

corripiuntur. Recentiores inter anginam *veram*, quando inflammatio magis *interne*, & *spuriam* seu *notham*, quando tumor inflammatorius magis *externe* se manifestat; inter anginam *idiopathicam*, quæ per se & sua sponte exoritur, & a sola *plethora* dependet, & *symptomaticam* distinguunt, quæ febribus acutis, præcipue circa statum, vel aliis morbis accedit.

## §. XIII.

Sequitur in græco textu HIPPOCRATIS vox *κορυζας*, quam per *gravedines* exposuit interpres cum CÆLSO lib. II. c. I. CÆLIUS AVRELIANVS lib. II. c. XVII. acut. *κορυζαν* vocat catarrhum, qui ad nares fertur, & GALENVS lib. VI. de Symptom. causs. *κορυζαν* dici scribit, ubi quod in cerebro supervacaneum est, in nares defluit. Hinc ipse monet FOESIVS in Oeconomia HIPPOCRATIS, voce *κορυζα*, quod aliud omnino, quamvis non multum distans a *coryza*, malum sit *gravedo*; hæc enim, inquit, nares claudit, vocem obtundit, tussim siccum movet, sub eadem salsa est saliva, sonant aures, venæ moventur in capite, & quæ sunt reliqua. Quando vero addit: *quod hæc omnia κορυζα nominet* HIPPOCRATES; in eo quidem minus recte sentire videatur FOESIVS. Aliud enim sunt HIPPOCRATI *κορυζαι*, gravedines, quamquam, si curate loqui velimus, *coryza*, quod iam diximus, omnino differat a gravedine; aliud ipsi sunt *βρυξαι* rauicitates; aliud sunt *βηνεσ*, tusses, de quibus deinde plura dicemus. Nostra quidem ætate *coryza*, *gravedo* atque *phlegmatorrhagia*, cum *rauicitate*, *tusse* & *catarrho suffocativo* in eo omnino convenientiunt, quod adfectus

*Coryza, græc.  
vedo  
phlegmator-  
rhagia.*

sint catarrhales; in eo autem tres priores differunt inter se, quod *phlegmatorrhagia* sit verus & continuus fluxus, seu stillicidium limpidi phlegmatis e naribus; *coryza* excretionē seroso-mucida, modo benigniore, modo acriore, per nares & saepius etiam per fauces, cum sternutatione ut plurimum sese prodat; *gravedo* autem nulla quidem materiae serosae perruptione, maiore tamen dolore gravativo atque tensivo circa frontem, oculos, naresque admodum molesta sit.

#### §. XIV.

Supersunt inter affectus catarrhales, quos in numerum morborum verni temporis retulit HIPPOCRATES, βράγχαι, καὶ βρύξεις, *rauicitates* atque *tus-ses*. *Rauicitates* reddidit interpres, quod in Graeco βράγχαι dicitur, vocabulo a CORNELIO CELSO, medicorum Cicerone accepto, *raucedo* enim, qua voce hodie plurimi utuntur, nullius est autoritatis apud veteres. Sed hic quæritur: Utrum unus idemque sit affectus catarrhalis, *branchus* & *rauicitas*, an vero, & quanam ratione inter se differant? Celeb. noster PRÆSES in *Conspictu medicinæ theoreti-co-practicæ*, tabula de *brancho* & *raucedine*: *branchum* definit, quod sit materiae seroso-mucosæ intra fauces & asperam arteriam secessio, a congestione humorum versus has partes originem trahens; *rau-cedinem* vero seu *rauicitatem* ita determinat, quod sit tunice glandulosæ & partium glandulosarum circa superiora asperæ arteriæ sitarum, constrictio, qua debitus proventus lymphæ intercipitur. Unde fit, ut minus clara & sonora vox prodire possit. Ex qui-

*branchus,*  
*rauicitas* &  
*tus-ses.*

quibus facile adparet, branchum atque raucitatem omnino inter se differre, quamquam vulgo pro uno eodemque habeantur affectu; in *brancho* enim humorum seroso mucidorum fit secessio, in *raucitate* autem lympha ad irrigationem necessaria, interceptitur; in *brancho* toni adeat relaxatio, in *raucitate* vero deprehenditur arteriae asperae constrictio; *branchus* excipit ordinarie coryzam & gravedinem, *raucitas* etiam sine his occurrit, & per multos interdum annos chronice adfligit, cum *branchus* brevioris modo sit periodi. De *tussi* autem, exspiratione ista vehemente & sonora, hoc loco nihil aliud dicere habeo, quam quod motu hoc discussorio & elisorio principium vitale materiam aliquam molestam evacuare intendat; sive *humida* sit, sive *sicca*; sive sit *pectoralis* seu *idiopathica*, sive sit *consensualis* seu *symptomatica*; quæ ultima vel *catarrhalis* est, & maxime hic pertinet, vel est *hypochondriaca*, quæ vel a *stomachi* vitiis, vel ab *hepatis* scirrhositate, vel ab aliis *viscerum abdominalium lesionibus*, originem suam habet.

## §. XV.

*Quarta & ultima morborum vernalium classis,* Quarta mor-  
borum classis  
morbos conti-  
net cutaneos.  
*morbos comprehendit cutaneos, lepras nempe impeti-  
gines, vitiliges, papulas ulcerosas multas & tubercu-  
la.* Difficile sane est, varias istas cutis defecationes & exulcerationes, ex mente & sententia HIPPOCRATIS aliorumque Medicorum veterum, curate satis determinare; consulamus tamen hac de re ANVTI-VM FOESIVM, optimum divi Senis interpretem, qui in *economia Hippocratis*, varias istas voces græcas λεπραι, λευχηνες, αλφοι, εξανθησεις ελκωδεες, και ται φυμαται,

partim ex aliis locis parallelis, & ex iis, quæ GALENVS commentatus est ad hæc loca, partim vero ex CORNELIO CELSO, CÆLIO AVRELIANO, DIOSCORIDE, aliisque medicis vetustioribus, quantum fieri potuit, breviter interpretatus est. Addantur ea, quæ de variis ictis vitiorum cutis nominibus collegit B. noster SCHVLZIVS in *diff. de morbis verni temporis* §. XXV. seqq. Vnicum modo hic adderamus FRANCISCVM VALLESIVM, qui in doctissimo Commentario ad hunc Aphorismum HIPPOCRATIS, de morbis hisce cutaneis, sequentem in modum differit. „ *Lepre* & *impetigines* sunt morbi „cutis ; differunt vero, quod lepræ tanto graviores „sint impetiginibus, & tanto altius serpent, quanto e- „lephas quam lepræ. Elephas enim etiam est in hoc „morborum genere. *Vitiliges* sunt maculæ cutis „albæ, quæ ex crudis succis flunt, & empyemati suc- „cedere solent. *Papule ulcerosæ* & *multæ*, ex falsa pi- „tuita aut bile fieri consueverunt, frequentior quæ „dam scabies. „ Et paucis interjectis, cum lepra, im- petigine, vitilagine & arthritide confert morbum gal- licum: „ Nisi forte, inquit, morbus gallicus; hi ipsi „morbi aut horum aliquis aut duo tresve illorum sint, „aut horum aliquis cum alopecia, multis enim mo- „dis affectos videmus eos, quos gallico morbo labo- „rare dicimus, hac unica re addita, quod ex putrefa- „&to sefhine ortum malum trahat. „

## §. XVI.

*Transitus ad secundum dissertationis momentum.* Absolvimus itaque *primum nostræ dissertationis momentum*, quo *morbos verni temporis* ex mente & sententia HIPPOCRATIS breviter *recensuimus*. Fa- cile

cile nobis esset, morborum vernalium seriem longior-  
rem reddere hoc loco, qua in re, jam ante ducentos ab-  
hinc annos, praeuntem habemus, quem modo laudavimus, FR. VALLESIVM, qui l. c. ita quidem præcipit:  
 „Neque tamen solum hi morbi solent exacerbari ve-  
 „re, sed multi alii; ut cum epilepsia, *hemiplexia quo-*  
 „*que & apoplexia, & hemicrania & cephalæa;* cum  
 „raucedine & gravedine etiam *catarrhus;* cum angi-  
 „na etiam *pleuritides & bubones, & continentes febres;*  
 „cum lepra, impetigine & vitilagine & arthritide, et  
 „iam *morbus gallicus u.r.λ.* Sed præterquam, quod  
 ipsimet horum morborum plurimos, partim inter  
 morbos spasticos, partim vero inter adfectus catarrha-  
 les supra jam retulerimus; nec supra artis nostræ Ma-  
 gistrum sapere, nec prolixiores esse volumus in præ-  
 fenti. Nostrum potius erit, in *caussas* horum morbo-  
 rum penitus inquirere, cur quaelibet istarum ægri-  
 tudinum classis, tempestati quidem vernali admodum  
 sit familiaris, quod secundum erit dissertationis no-  
 stræ *momentum*, prouti diximus in *Proœmio*.

## §. XVII.

Qua ratione ver sit *saluberrimum*, cum tamen multos adferat morbos, supra iam expositum est §. II. III. & IV. ubi varias hujus rei caussas in medium produximus. Si *caussam* morborum verni temporis generaliorem velis, eam, meo quidem judicio, optime nobis dedit, quem toties laudavimus, VALLESIVS noster, in Commentario ad *Aphorismum XX.* „Ver „per se, inquit, atque sua temperie nullos morbos ad- „fert, sed ex succis, aliis temporibus genitis in homi- „nibus paratis, omnes morbi fieri solent per ver, nisi

„præ-

„præcautionibus homines utantur. Quia scilicet „quæcunque excrementa in corpore congesta sunt, „soluto hyemis frigore, moveri incipiunt, & facultas „fortior reddit, expurgare corpus volens, movet. „*Mota ergo nocent, quæ quieta aut non nocerent, aut nocerent minus.* Hinc fit, ut Vere, dissidentes admodum fieri morbos, dicat HIPPOCRATES, scilicet in bene temperatis hominibus multi morbi vere fiunt, quia nullos adfert ver per se; tamen omnes fieri solent, singuli in iis hominibus, qui ad eos parati sunt. Ex quibus facile intelligimus, *plethoram, hyeme collectam, calore autem verno commotam, cum spissitudine & cacockymia sanguinis coniunctam, generaliorem nobis præbere morborum vernalium rationem.*

## §. XIX.

*Mania & melancholia a caussis  
melancholia  
vernalis causata.*

Quamquam vero mania & melancholia a caussis saepe immaterialibus, a malis animi moribus, iracundia, amore, perverso, immoderatis & profundis phantasie speculationibus, & quæ sunt reliqua, oriri soleant, & hinc omni tempore vel fieri vel exacerbari possint; dantur tamen utriusque animi morbi caussæ etiam materiales, quo præter nimiam sanguinis abundantiam, *sanguinis spissitudo* potissimum, eiusque circa venam portæ incarceratio, mala partium nobilium internarum dispositio, viscerum tam abdominalium, quam ipsius etiam cerebri laesio, aliæque caussæ plures pertinent. Quando itaque *calore verno accidente*, humores adhuc quasi stagnantes, fortius exagitantur; isti autem per viscera abdominalis constricta, indurata, liberum transitum non inve-

inveniunt, versus caput & pe<sup>c</sup>tus regurgitent necesse est; unde partim *torpor* ille *maniacorum*, qui ab iræ excandescens, vel alio quodam impulsu excitatus, saepe in activitatem male ordinatam, aut male sanam abire solet, partim vero *angor* iste *melancholicorum*, quem sentiunt ægroti, sed rationem eius moralem nullam reddere valent, originem suam trahit.

## §. XIX.

De *epilepsia* supra diximus §. IIX. seq. eam non tam a cauiss materialibus, quam immaterialibus, præsertim vero ab erronea mortis idea potissimum provenire. Sed dantur tamen etiam cauissæ mate-<sup>Unde epilepsia  
et articulo-  
rum dolores  
orientur tem-  
pore verno.</sup> riales, occasioales saltim epilepsiaæ, aliarumque convulsionum, inter quas præter sanguinis abundantiam, eius *spissitudo* maxime eminet. Quæ cum corpori animoque admodum molesta sit, eam contentiousis illis motibus convulsivis removere natura intendit, licet frustraneo plerumque nisi atque conatu. Spectat huc etiam transpiratio suppressa, coagulatio lymphæ circa caput, per refrigerationem humidam introducta, unde morbum hunc comitiale, pariter ac furores & melancholias, inter morbos autumnales ipse retulit HIPPOCRATES. Sed si ea modo hic repetamus, quæ §. IV. de tempestate autumnali veris nondum adulti, in medium iam produximus, facile patebit ratio, cur homini morbo comitiali obnoxio, æquinoctium vernale, non minus extimescendum sit, quam autumnale. Eadem est ratio motuum spastico-rheumatico - arthriticorum, quippe

D

pe qui, experientia teste, hyeme exeunte & vere  
ineunte, longe frequentiores esse solent, quam ve-  
re iam adulto, atque consistente; imo vere exeun-  
te, & æstate ineunte, ubi libera magis est tam sen-  
sibilis quam insensibilis transpiratio, isti dolores spa-  
stico-arthritici ordinarie quidem cessant.

## §. XX.

*Hamorrhagiae*  
*& adfectus*  
*catarrhales,*  
*cur veri sint*  
*familiares.* Si commotio plethoræ, ex consensu medicorum  
omnium, plurimum valet ad excitandas hæmorrhagias variæ generis; omnia autem calida, sanguinem rarefacentia, multum conferunt ad plethoræ commotionem; facile intelligimus caussam, cur hæmorrhagiæ narium non solum, sed & hæmoptyses, aliæque hæmorrhagiæ plures, pro diversitate subiectorum, ratione ætatis, temperamenti, sexus, & sic porro, veri consistenti maxime & ex-  
eunti, magis quippe calido, admodum sint familiares. Adfectus autem catarrhales, angina, gravedo, raucitas, atque tussis, experientia teste, circa finem hyemis & veris initium, frequentiores esse solent, quam circa medium & finem eius, quoniam subitanea ista frigoris & caloris, humiditatis atque siccitatis, in uno saepe die, permutatio, ad excitandas, fovendas, augendasque hasce ægri-  
tudines multum omnino facit; ubi tamen, ut in reliquis morbis temporum, ad præviam corporum dispositionem, aliasque caussas tam internas quam externas, ubique insimul respicere debemus.

## §. XXI.

## §. XXI.

Efflorescentiae istae cutaneæ varii generis, quo *Morbi cutanei*  
lepras, impetigines, vitiligines, pustulas ulcero-*cur tempore*  
fas & tubercula retulit HIPPOCRATES, cur ver-*veris maxime*  
no tempore potissimum efflorescant, nemini facile  
mirum videri poterit, si perpendat, quod natura  
collectas per hyemem humorum impuritates, blan-  
do verni temporis calore opitulante, per cutis po-  
ros potissimum expellere conetur. Iam vero hu-  
mido-frigida ista tempestas, quæ sub initium ve-  
ris, blandum solis calorem sœpius excipit, liberam  
feri istius excrementitii transpirationem multis mo-  
dis impedit, & humoribus in superficie collectis,  
ad corruptionem subeundam ansam facile præbet.  
Novimus equidem, dari etiam hodie nonnullos,  
qui plerosque prurientes & ulcerosos superficie ad-  
fectus, non tam ab humorum impuritatibus, quam  
a *rodentibus* quibusdam *animalculis* seu *vermiculis*,  
quos alii *psydraciorum*, alii *acarorum*, alii aliis  
nominibus insigniunt, derivandos esse contendunt;  
qua in re præeuntem habent Celeb. RIVINVM in  
*diss. de pruritu exanthematum ab acaris.* Verum,  
si quis etiam, in quibusdam saltim affectibus cu-  
taneis explicandis, hanc ipsam vermicularem theo-  
riam amplecti, & ipsam aëris vernalis constitutio-  
nem, qua varii generis animalcula & diversa infe-  
ctorum genera prodire solent, in hypotheseos suæ  
favorem vocare vellet; eam tamen nostram face-  
re maxime hæsitamus.

## §. XXII.

*Cur morbi  
vernales mi-  
nime sint exi-  
tiosi.*

Aphorismum illum HIPPOCRATIS, quo ver saluberrimum, & morbis minime exitiosis obnoxium esse dixit, supra jam in medium produximus. Rationem hujus rei partim cum VALLESHIO eam dedimus, quod tum temporis naturae facultas optime sibi constet, ut morbos istos facile superare possit; partim vero moderatam verni aëris temperiem, quando nempe ver paululum jam adolevit, causam esse diximus, cur morbi isti verno tempore, quo transitus fit a frigido ad calidum, a minus amico ad magis amicum, non tam exitiosi sint, quam quidem tempore autumni, ubi ab eo, quod corpori amicum erat, transimus ad illud, quod corpori maxime est molestum. Jam si ea modo, hoc loco, consideramus, quæ de indole & natura horum morborum omnium, deque illorum caussis sive proximis, sive procatacticis, breviter expōsuimus; facile fatebimur, morbos verni temporis, veris maxime iam adulti atque consistentes, minime esse exitiales. Quamquam enim quidam illorum pertinaciores, quidam vero molestoiores esse soleant; tamen, quod recte monuit VALLESIVS, vel facilius præcaveri, vel ordinato vitae genere satis feliciter superari possunt.

## §. XXIII.

*Morbi isti ver-  
nales quanam  
ratione pra-  
ebeatantur.*

Tertium iam supereft dissertationis nostræ momen-  
tum; videlicet ut hoc loco ostendamus breviter, qua-  
nam ratione morbi isti vernales facile partim præca-  
veri, partim vero, si jam adsint, satis quidem felici-  
ter

ter *superari* possint. Prolixum nimis foret, si de omnibus ac singulis verni temporis affectibus, specialiorem medendi methodum in præsenti exponere vellemus; quare generaliora modo paucis indicabimus. Nimiam sanguinis abundantiam, calore verno maxime commotam, una cum spissitudine & humorum cacoehymia, generaliorem morborum vernalium causam esse, supra diximus §. XVII. Morbos itaque vernales facile evitabimus, si plethoram immiuamus, sanguinis orgasmum contemperemus, spissitudinem resolvamus, & humorum cacoehymiam tum debito tempore & debito ordine evacuemus. *Plethoram imminuimus*, si parum edamus, corpusque nostrum motu sufficiente placido & continuo exerceamus quotidie. Quoniam vero plerique hominum, nobiliorum saltim atque doctorum, istum laborem admodum necessarium cane & angue pejus fugiunt; hinc frequentiora laxantia & largior Venæ sectio trimetris, adeoque etiam circa æquinoctium vernalē sedulo administranda, in subsidium vocari debent. *Orgasmum sanguinis* nitro depurato, oculis cancerum, acido citri saturatis, conchis præparatis, cinnabari & antimonio diaphoretico junctis, optime contemperamus. *Spissitudinem*, plethora remota, facile resolvimus, diluentibus & resolventibus temperatis, ex radicibus & herbis, e. g. ari, vincetoxici, pimpinellæ albæ, herb. melissæ, teucrī veri, bellidis, capill. ven. hyssopi &c. in forma infusi vel decocti, præfertim vero motu & potu sufficiente. *Cacoehymiam* autem corrigimus, partim per diluentia, attenuantia,

tia, incidentia & resolventia, quo herbæ & radices temperatæ sulphureo - resinosæ modo dictæ; gumma-ta temperata, ammoniacum, galbanum, sagapenum; salia media, tartarus vitriolatus, arcanum duplicatum; tincturæ alcalinæ, antimonii, salis tartari &c. pertinent; partim vero per absorbentia cum nitro miscenda, per mucilaginosa & gelatinosa, si salino-acris & biliosa fuerit cacockymia. Facta debita correctione & præparatione, *evacuandæ* sunt corporis impuritates, quo blandæ laxationes corrigentibus subinde interponendæ, vel laxationes per epicrasin, (sic enim una fidelia duos, dealbamus parietes) diaphoresis & diuresis, per herbas & radices supra jam indicatas, præfertim autem motus corporis continuus atque moderatus spe&tat. Hic enim in plethora imminuenda, spissitudine resolvenda, & cacockymia corrigenda, utramque facit paginam.

#### §. XXIV.

*Quanam ratione facilius superari possint*

Eadem ferme via, in *facilius superandis* curande disque adfectibus vernalibus, nobis incedendum erit, quam in præcavendis evitandisque morbis verni temporis, modo commendavimus. *Morbis* nempe *animi*, si a caussis immaterialibus originem suam trahant, remedii quidem moralibus, amica atque placida conversatione, abstinentia a stolide dictorum factorumque exagitatione, mediorum auxiliorumque e. g. vietus & amictus oblatione, matrimonii ineundi concessione, & quæ sunt reliqua, optime medebimur; si vero causæ materiales tempore verno excitatae con-

cur-

currant, primæ viae per laxantia melanagogæ expurgandæ sunt, venæsecțio largior administranda, & sanguinis orgasmus temperantibus nitrosis compendus est. Ad *adfectus spasticos* tam convulsivos, quam arthriticos, qui plerumque pertinaciores esse solent, si semel in habitum abierint, removendos partim, partim vero mitigandos, regulæ generaliores sequentes sunt. Causa materialis, nimia sanguinis abundantia motu corporis necessario vel venæsectione, scarificatione, & prudenti hirudinum applicatione, removenda est. Cruditates primarum viarum, motus spasticos admodum exacerbantes, salibus digestivis abstergendæ, & lenibus laxantibus eliminandæ sunt. Orgasmus sanguinis per nitrofa, absorbentia salina, emulsiva compescendus. Æqualis humorum disperditio, per temperata alexipharmacæ adjuvanda, & motuum spastico - dolorificorum vehementia, antispasmodicis cinnabarinis, pulvere lumbicorum terrestrium mitiganda, perque diapnoica lenia interna, externe autem per frictiones, per spiritum vini camphoratum crocatum, per spiritum lumbicorum terrestrium &c. quantum fieri potest, dissolvenda est. *Hæmorrhagiae*, si moderatae sint, & locis convenientibus erumpant, nulla egent medicatione; si vero immoderatae & inordinatae fuerint, illis quidem quantitate sanguinis imminuta, & qualitate correcta, pulveribus contemperantibus & mixtura tonico-nervina STAHLII prudenter occurrentum est. In *congestionibus incompletis*, ante omnia alvus aperta servanda, humores restagnantes discutiendi

tiendi & resolvendi, sanguinis orgasmus contemperandus, & motuum pertinacia, si necessitas urgeat, leniori quodam anodynō e. g. M. P. de Cynoglossa infringenda est. Ad morbos vero *cutaneos*, quod attinet, quorum alii ad scabiem benignam, alii autem ad malignam hodie referri solent; humorum corruptio per alexipharmaco - diuretica, succinata, tincturas alcalinas, decocta lignorum, succos recentes antiscorbuticorum &c. corrigenda, & humores correcti per laxantia phlegmagoga, & in specie mercurium dulcem, itemque per blanda diaphoretica & diuretica evacuandi sunt; externe tandem unguenta mercurialia, lixivia sulphurata, mundificandi scopo succus vel decoctum tabaci, ad consolidationem autem, oleum ovorum, myrrhae per deliquium &c. commode adhiberi possunt.

## T A N T U M.



VIRO NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO  
SIGISM. PHILIPPO GLASSER  
MVLTAM PRECATVR FELICITATEM  
IOANNES IVNCKERVS.

**E**t si necesse non fuit epistolam hanc scribere, ut me te amare intelligeres, CANDIDATE NOBILISSIME, tamen, quum summos hodie in medicina consequeris honores, existimauit, mihi non esse committendum, ut TE a me sine eadem dimitterem, nec illum TIBI meam constantem in TE propensionem nullo modo esse diminutam significarem. Hoc autem mihi instituenti varia venerunt in mentem, quae huic expediundæ operæ præberent materiam. Sed omnibus dimissis, ab ipsa TVA dissertatione inaugurali *de morbis vernalibus* vernoque tempore lœtum capio auspicium. Nimirum sicuti morbi vernales maiorem & faciliorem curationis ac recuperandæ sanitatis spem faciunt, quam hyemales & autumnales; & omnia, quae antea quasi mortua videbantur, in lœtissimum se induunt florem: ita quoque multam concipio spem, fore, ut etiam TVÆ res sint lœtissimæ, fructumque doctrinæ aliquando consequaris uberrimum. Habes enim animum, velut a-

E

grum,

grum, salutari perfusum humore; & succum hinc traxisti tales, qui, quoniam ex integris est & puris radibus, futuro tempore, si eum sine vitio servaveris ac detimento, magis magisque crescat ac perficietur, ita ut animum quasi agrum fructibus, cultu suo omnino dignis, abunde poteris cumulare. Age igitur, CANDIDATE NOBILISSIME, expande & explica omnia semina, quæ accepisti, herbescentem inde effice viriditatem, quæ adolescat, pubescat, emergat, & frugem præbeat multo lœtissimam, ex qua gratissimi olim affluent odores. Evidem quum TE primo flore hodie convestiri video, vere & ex animo TIBI gratulor, optoque enixe, ut TIBI semper sit laudi & ornamento, & reliqua in TE sita roscido semper sustententur humore, donec lœta ac prospera proveniant omnia. Mihi profecto, qui olim in TE formando aliquam consumsi operam, nihil jucundius accidere poterit, quam si de flore rerum TVARVM lœtissimo & fructuum futurorum præstantia crebriores accipiam nuntios. Interea e specula prospiciam, meque spe, quam ex hodierno lœtiore flore præcepi, oblectabor; & faciam in posterum, quæ TIBI, CANDIDATE PRÆSTANTISSIME, debo, & faciam libenter, TIBIque persuasissimum esse cupio, TE a me ingenue amari, & hoc re vera ita esse, ubi usu veniret, experiundo cognosces. Valeas igitur ac floreas in perpetuum, atque PARENTI TVO CLARISSIMO plurimam meis verbis dic salutem. Iterum vale.

D. a. d. XXII X. Junii

MDCCXLV.

CAN-

CANDIDATO DOCTISSIMO  
SIGISM. PHILIPPO GLASSER.

S. D. P.

THEOD. CHRISTOPH. VRSINVS

P. P. O.

Magnam esse prudentiae humanæ partem, si quis tempori, ea qua decet ratione, bene *inservire* valeat, & sacræ litteræ nos condocent, & ratio id requirit, & quotidiana confirmat experientia. Quid mirum itaque, quod maximam prudentiae medicæ partem in eo ponant Medici ferme omnes, tam veteres quam recentiores, si quis morborum tempora recte non solum *dijudicare*, sed & *praxin medicam* in primis temporis morborum convenienter instituere noverit. *Varia* autem prudenti Medico sese offert temporis *consideratio*, circa morbos rite *dijudicandos* & congrue *tractandos*. Primo quidem ratione *ætatis hominum*, ubi alii sunt morbi infantum ac puerorum, alii juvenum ac adolescentium, alii demum virorum ac senum. Deinde vero ratione *ætatis morborum*, vbi varia iterum occurserunt momenta; partim respectu *principii, incrementi, status & decrementi*, tam morborum integrorum in ge-

nere , quam paroxysmorum in specie ; partim respectu durationis sive ambitus singularis cuiusvis morbi, vnde notabilis illa inter morbos *acutos* & *chronicos* oritur differentia ; partim respectu *paroxysmorum*, qui diversis diei horis, iisque vel antemeridianis vel pomeridianis redeunt ; partim vero respectu *mutationum particularium* certis diebus contingentium, quo *dies illi critici* tam proprii quam improprii, *dies itidem intercalares*, & *vacui* maxime pertinent. Tandem etiam ratione ætatis ipsius anni , alii sunt morbi *vernali* temporis alii vero *æstatis* , alii sunt *autumnales* alii vero *biemales* : vbi triplex iterum temporis anni deprehenditur differentia, quando vel *novum* est, vel *adultum*, vel jam *præceps* ruit. Ex varia ista temporum circa morbos occurrentium dijudicatione, eam TIBI elegisti, CANDIDATE DOCTISSIME, quæ ad ultimam spectat harum doctrinarum classem. Differis enim de morbis primæ anni ætatis , de morbis nempe *vernalibus* , eorumque caussas & remedia docte perscrutaris ; & hac ipsa quidem ratione, post exantlata ista examina consueta, dum cathedram jam concendis, dignum TE esse fatis superque monstras , cui ab Inlyto Medicorum Ordine, summi in arte medica honores & privilegia proxime conferantur. Gratulor TIBI, TVISque omnibus istos honores ex animo , DEVMque precor , vt conatus TVOS omnes , in debellandis *morbis* tam *vernalibus* & *æstivis* , quam *autumnalibus* & *biemalibus* , cedere jubeat feliciter. Scrib. in Acad. Hallensi d. XXIX.

Jun. MDCCXLV.

VIRO

VIRO JUVENI  
**CANDIDATO**  
DIGNISSIMO  
S. D.  
PETR. NICOL. NEVGART.  
MEDIC. DOCT.

**M**utationes temporum & climatis , quid valeant tam in macrocosmo , quam microcosmo , satis certum est atque exploratum ; quas jam recte investigare , & justa mentis trutina expendere , non minoris sane est utilitatis , quam jucunditatis : multa enim dantur phænomena tam in regno minerali & vegetabili , quam in regno animali , quæ sine ratione mutationum temporum & climatis habita , neque perspici , neque rationaliter explicari possunt . Regnum minerale si attendimus , pro diversitate climatis sicut sua pura vel impura metalla , nobiles vel ignobiles , diaphanos vel opacos , duriores vel molliores lapides , sic multum vel minus talis tam communis quam nitri offert . Mutationes in regno vegetabili pro diversitate climatum & temporum non pauciores , si paucissimos tantummodo fructus & uvas , tam quoad maturitatem , quam externum aspectum consideramus . Ex eadem quoque ratione ingenis etiam in regnum animale proficiscitur differentia ; quot enim dantur animalia ( ut lupi , vulpes , lepores ,

aves &c.) quæ in regionibus calidis nigris vel rufis, in  
Moscovia, Lithuania, Norvegia, Islandia, insula ferroensi  
Grünlandia, aliisque regionibus septentrionem spectan-  
tibus, albis teguntur capillis & plumis: imo multa dan-  
tur animalia, quæ tempore hyberno alba, æstivo vero  
nigra apparent, ut avis quædam norvegica sylvestris,  
formam nostrarum columbarum referens, quæ incolis  
(Nipen) dicitur. Hasce mutationes in tribus naturæ  
regnis toto die occurrentes, quis non a diversitate cli-  
matum & Atmosphæræ si non ex omni, maxima tamen  
ex parte deduceret. Cum itaque ob diversitatem cli-  
matis magna multarum rerum oriatur differentia, earun-  
demque ingens nascatur mutatio: quid mirum, si ejus-  
modi quid eandem ob caussam cum corpore nostro con-  
tingat? Præclare igitur, CANDIDATE DOCTISSI-  
ME, agis, qui in Dissertatione TVA inaugurali muta-  
tiones illas, quæ tempore vernali in microcosmo obser-  
vantur, tam extiales, quam salutares monstras, & re-  
media tam præservandi, quam sanandi scopo profers.  
Quod reliquum est, CANDIDATE DOCTISSIME,  
de TVIS honoribus doctoralibus TIBI a Facultate am-  
plissima medica Illustris nostræ Fridericianæ conferendis  
iterum atque iterum gratulor. Faxit DEVS O. M. ut  
omnia secunde & prospere TIBI cedant in propriam u-  
tilitatem, gaudium Experientissimi Parentis, solatium  
ægrotantium: sic ex animo vovit & calamo currenti  
scripsit animus, quem amare perge. Halæ d. 28.

Junii 1745.

VIRO

VIRO  
PRÆNOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO

## DN. CANDIDATO

S. D. P.

D. GEORGIVS GOTTFRIEDT WENDT.

**A**pplaudentium numero me iam iam associo, cum TIBI CANDIDATE PRÆNOBILISSIME hodierno die summi in arte salutari tribuuntur honores. Amicitia enim inter nos hucusque iuncta iubet atque me incitat, aliorum amicorum gratulationibus mea etiam adicere vota sincerrima. Cum enim TE visendi atque colloquia miscendi prima mihi arrideret occasio eaque exoptatissima, statim illud menti hærebat infixum, TECVM ineundi amicitiam, quæ spes me quoque non fecellit, sed illa ad hunc usque diem inter nos fuit sincera, immo in futurum quoque manebit integra. Ad finem igitur studiis academicis feliciter perductis; hodie egregium indefessæ TVÆ edis testimonium, quod TIBI imposterum omnem promittit felicitatem. Nunquam enim CANDIDATE PRÆNOBILISSIME inanibus operam nauasti speculationibus, sed omni tempore men-  
tem


tem TVAM felicissimumque ingenium ad res utiles, pra-  
xique TVÆ futuræ inservientes, impendere studebas,  
quam ob caussam quoque unicuique hodie contra dis-  
sertationem perquam erudite elaborataim aliquid profe-  
renti, sufficientes reddere poteris rationes. Felix igitur  
es, qui tantorum virorum in nostra splendidissima mu-  
sarum palæstra dogmata hauseris, sub quorum ductu mor-  
borum accuratam cognitionem non solum acquisueris,  
sed etiam moderantibus tantis orbis eruditî ornamenti-  
is mederi didiceris. Accipias igitur CANDIDATE  
PRÆNOBILISSIME hæc serena fronte, sciasque, hæc  
pauca ex amici sinceri ore atque calamo effluxisse, quam  
ob caussam summos hodie capessendi honores doctora-  
les, tanquam diligentia TVÆ nunquam interruptæ præ-  
mium, gratulor. Felix es, qui spem PARENTIS EX-  
PERIENTISSIMI ATQVE CELEBERRIMI superasti,  
dignusque iudicaris summos in arte medica obtinendi  
honores, felix eris si diu cum omni prosperitate vitam  
agere possis, felix inquam eris, si praxi TVÆ Deus O.  
M. fuerit propitius. Applaudo igitur omnibus hisce ho-  
noribus, prospера quæque TIBI ex animo, quæ modo  
mens humana & optare & sperare potest, appreco. Quod reliquum est CANDIDATE PRÆNOBILISSI-  
MÆ, a te peto, velis imposterum quoque amici TVI  
sistere TE memorem, qui TIBI bona sua quæcumque  
modo præstanta officia non solum offert, sed TE in dif-  
fisis etiam locis amare haud desinet. Vale. Dab. d.

28. Jun. A. O. R. MDCCXLV.

01 A 6597







12  
11

*DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA*  
DE  
**MORBIS VERNALIBVS**

QVAM  
AVSPICE DEO PROPITIO  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI

PRÆSIDE

**DN. JOANNE JVNCCKERO**

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO

DECANO H. T. SPECTATISSIMO  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

**PRO GRADV DOCTORIS**

SUMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

AD D. JVN. ANNO MDCCXLV.  
PVBLICO AC PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR  
**SIGISMVNDS PHILIPPVS GLASSER**

SORAVIA-LVSATVS.

HALAE MAGDEBURGICAE  
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

